

DIE 29 OCTOBRIS
SANCTI NARCISSI
EPISCOPI ET MARTYRIS
PATRONI PRINCIPALIS CIVITATIS AC DIOECESIS
I classis

AD I VESPERAS

V. Deus, in adiutorium. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia.

Ant. 1 Narcissus curávit gentem suam, et liberávit eam a perditíone.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * sede a dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitebit eum: * Tu es sacerdos in ætérnum secúndum ordinem Melchisedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in nationibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multorum.

De torrénte in via bibet: * propterea exaltábit caput.

Hic versus Glória Patri *semper dicitur in fine omnium psalmorum et canticorum, nisi aliter notetur.*

Ant. Narcissus curávit gentem suam, et liberávit eam a perditíone.

Ant. 2 Ipse est diréctus divinitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis.

Psalmus 110

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consilio justorum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisita in omnes voluntates ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus: * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabilium suorum, miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suorum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem gentium: * ópera mánuum ejus veritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandata ejus: confirmata in sæculum sæculi, * facta in veritate et æquitate.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terribile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Ipse est diréctus divinitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis.

Ant. 3 Fuit máximus in salútem electórum Dei, expugnare insurgentes hostes.

Psalmus 111

Beátus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generatio rectórum benedicétur.

Glória, et divitiæ in domo ejus: * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus sperare in Dómino, confirmátum est cor ejus: * non commovébitur donec despiciat inimicos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Fuit máximus in salútem electórum Dei, expugnare insurgentes hostes.

Ant. 4 Invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnando hostes circumstantes úndique in oblatiÓne agni invioláti.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini. Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília respicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut còllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnádo hostes circumstantes úndique in oblatióne agni invioláti.

Ant. 5 Consummatioé fungens in ara, libávit de sáanguine uvæ : effúdit in fundaménto altáris odórem divínium excélsó príncipi.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Consummatioé fungens in ara, libávit de sáanguine uvæ : effúdit in fundaménto altáris odórem divínium excélsó príncipi.

Capit. **2 Machab. 15, 14**

Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël : hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte.

R. Deo gratias.

Hymnus

Festívis hódie láudibus ínclytum

Narcíssum púeri concínite ac senes :

Linguis ómnibus, urbs nostra, canéntibus

Patrónum célebrat tuum.

Dum nostram prémerent carnífices fídem,

Ac strages fíeret christíadum, datus

Nobis hic fuit invíctus Epíscopus,

Christi ut dúceret ágmina.

Zelo ardénte plagas raptus ad éxteras

Afram cum Eunómia, Digna et Hilária,

Narcíssus Zózinum ac innúmeram fere

Sanctórum ségetem parat.

Ast ex indígenis lárgior est seges

Nostrórum píetas ínclyta cívium ;

Centéni, præéunte agmen Epíscopo,

Scandunt sídera Mártyres.

Laus æténa tibi, altíssima Trínitas,

Quæ æténo récreas lúmine Mártyres ;

Narcíssi précibus da fámulis tuis

Cæli gáudia cónsequi.

Amen.

V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Sanctíssimum Patrem ac Epíscopum Narcíssum hujus Civitátis et Dioecésis Patrónum recolámus ac celebrémus, qui suis méritis et précibus nos ab omni malo liberáre potens est.

Canticum B. Mariæ Virg. **Luc. 1, 46-55**

Magníficat * ánima mea Dóminum.

Et exsultávit spíritus meus: * in Deo, salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus, a progénie in progénies: * tíméntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede: * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum: * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros: * Ábraham, et sémini ejus in sæcula.

Ant. Sanctíssimum Patrem ac Epíscopum Narcíssum hujus Civitátis et Dioecésis Patrónum recolámus ac celebrémus, qui suis méritis et précibus nos ab omni malo liberáre potens est.

V. Dóminus vobíscum **vel** Dómine, exáudi.

Oratio

Deus qui beátum Narcíssum Mártyrem tuum atque Pontíficem illústri láurea decorásti, ejúsque corpus admirábili integritáte claríficas : concéde propítius; ut, ejus deprecatióne tuo muníti præsidio, incorrúpta gáudia felicitátis ætérnæ consequámur.

Per Dóminum.

V. Dóminus vobíscum **vel** Dómine, exáudi.

Benedicámus. Fidélium.

Et ita absolvúntur Vesperæ.

Complet. de Domínica.